



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Epistola III. Innocentii Papae IV. Ad Fratres Ordinis Praedicatorvm. Fratres
Praedicatores a tramite disciplinae sancti Benedicti exorbitantes
corrigitur, & in viam meliorem diriguntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

mum reuoces, non aliquo impedimento perturbes. Sed qui cordi nostro statuimus, vt te specialem inter alios terræ principes habeamus, in ipso impartiri procurans honorem, sibi castra & maneria cum fructibus inde perceptis a tempore translationis huiusmodi, omni postposita difficultate resignes, ac beneuola benignitate concedas, quod sollicitudinem ei creditam possit cum effectu prosequi, tua fauente gratia speciali. Alias autem cum libertatem ecclesiasticam in diebus nostris velimus non minui, sed Deo propitio augeri cupiamus, nullatenus sustinere poterimus, quod nos in ipso episcopo tam præiudicialem iniuriam patiamur.

Datum Laterani tertio Kalendas Martii, pontificatus nostri anno primo.

EPISTOLA III.

INNOCENTII PAPÆ IV.

AD FRATRES ORDINIS PRÆDICATORVM.

Fratres Prædicatores a tramite disciplinae sancti Benedicti exorbitantes corriguntur, & in viam meliorem diriguntur.

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei magistro & fratribus ordinis Prædicatorum salutem & apostolicam benedictionem.

NON solum in fauorem conuersi, sed etiam monasterii, probationis tempus a sanctis patribus est indultum, vt ille asperitates illius, & istud mores illius valeat experiri. In regula quoque beati Benedicti præcipitur vt ad conuersionem nouiter venientibus non facilis tribuatur ingressus, sed, sicut docet Apostolus, an sit ex Deo spiritus comprobetur, & dura & aspera, per quæ itur ad Dominum, exponantur. Postea in eadem regula subiungitur, vt dicatur: Ecce lex sub qua militare desideras; si eam obseruare potes, ingredi; alioquin, liber venisti, liber discedas. Insuper felicitatis recordationis Gregorius papa prædecessor noster statuit, vt positi in probatione nouitii ante susceptum religionis habitum, qui dari profitentibus consuevit, seu ante professionem emissam,

ad statum pristinum redire possint libere infra annum. Et ad omnem ambiguitatem penitus amouendam, cum in quibusdam locis religiosi nouitiorum habitus non distinguatur ab habitu professorum, professionis tempore benedicantur vestes quæ profitentibus conceduntur, vt nouitiorum ac professorum habitus discernatur. Licet igitur zelum animarum habentes, eas lucrari Domino sollicitè cupiatis; quia tamen decet & expedit vt conscientia puritati non desit iudicium rationis, ne vnde spiritalis profectus quaritur, inde salutis dispendium subsequatur, vobis de fratrum nostrorum consilio in virtute obedientia sub pœna excommunicationis auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne ante annum probationis elapsum, qui est maxime in subsidium fragilitatis humanæ regulariter institutus, quemquam ad professionem vestri ordinis, seu renuntiationem sæculi faciendam, recipere præsumatis; nec constitutum in probatione nouitium aliquatenus impedire, quo minus infra eundem annum probationis ad aliam religionem, quam maluerit, transeat, sicut de sua processerit libera voluntate, non obstante statuto contracto, si quod a nobis est editum, quod irritum decernimus & inane, vel aliquibus literis a sede apostolica impetratis, seu etiam impetrandis, quæ de præmissis expressam non fecerint mentionem. Quod si forte contra huiusmodi inhibitionem quemcumque recipere præsumpseritis, decernimus eum qui taliter receptus fuerit nullatenus vestro esse ordini alligatum, vosque a receptione quorumlibet ad professionem eiusdem ordinis fore ipso facto suspensos, & insuper pœnæ subiiciendos, quæ fratribus ipsius ordinis pro culpis infligi grauioribus consuevit. Nulli ergo, &c.

Datum apud ciuitatem Castellanam decimoquinto Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno primo.